

Eclie. III.

234

nebant precepta tua. Iterum autem in tempore induxisti diluuium super inhabitantes seculum. et perdidisti eos. Et factus est in inuocacione eorum sicut ad inuocacionem: sic bis diluuium. Dereliquisti autem vnus ex his noe cum domo sua. et ex eo iusti omnes. Et factum est cum cepissent multiplicari qui habitabant super terram et multiplicauerunt filios et populos et geres multas et ceperunt iterato impietatem facere plus quam priores. Et factum est cum iniquitatem facerent coram te: elegisti tibi virum ex his cui nomen erat abraham. Et dilexisti eum. et demonstraisti ei soli voluntatem tuam. Et disposuisti ei testamentum eternum. et dixisti ei ut non vnquam derelinqueres semen eius. Et dedisti ei ysaac. et ysaac dedisti iacob et esau. Et segregasti tibi iacob: esau autem sepasti. Et factus est iacob in multitudine magna. Et factum est cum educeres semen eius ex egypto: adduxisti super montem sina. Et inclinasti celos et statuisti terram. et commouisti orbem: et tremere fecisti abyssos et conturbasti seculum et transiit gloria tua portas quartuor ignis et terremotus et spiritus et gelu. ut dares semini iacob legem. et generationi israel diligentiam. Et non abstulisti ab eis cor malignum: ut faceret lex tua in eis fructus. Cor enim malignum baiulans primus adam trasgressus et victus est: sed et omnes qui deo nati sunt. Et facta est permanens infirmitas. et lex cum corde populi cum malignitate radice. et discessit quod bonum est. et mansit malignum. Et transierunt tempora et finiti sunt anni. et suscitasti tibi seruum nomine dauid. et dixisti ei edificare civitatem nominis tui. et offerre ibi tibi eadem thus et oblationes. Et factus est hoc annis multis. et dereliquerunt qui habitabant civitatem in omnibus facientes sicut fecit adam. et omnes generationes eius. Debant enim et ipsi cor

de maligno. Et tradidisti civitatem tuam in manibus inimicorum tuorum: Nunquid meliora faciunt qui habitant babylonem? Et propter hoc dominabitur sion. Factum est cum venissem huc et vidissem impietates quarum non est numerus. et delinquentes multos: vidit anima mea hoc tricesimo anno et excessit cor meum: quoniam vidi quomodo sustines eos peccatores: et pepercisti impiis agentibus. et perdidisti populum tuum. et conseruasti inimicos tuos. et non significasti. Nihil memini quomodo debeat derelinqui via hec. Nunquid meliora facit babylon quam sion: aut alia gens cognouit te preter israel? Aut que tribus crediderunt testamentis tuis sicut iacob? Quam merces non comparauit: neque labor fructificauit. Pertransiens enim pertransiui in genibus et vidi abundantes eas. et non memorantes mandatorum tuorum. Nunc ergo pondera in statera nostras iniquitates et eorum qui habitant in seculo. et non inuenietur nomen tuum nisi in israel. Aut quando non peccauerunt in conspectu tuo qui habitant terram: aut que gens sic obseruauit mandata tua? Hos quidem per nomina inuenies seruasse mandata tuas. gentes autem non inuenies.

IIII

Respondit ad me angelus qui missus est ad me cui nomen buriel. et dixit mihi: Extendens excessit cor tuum in seculo hoc. et comprehendere cogitas via altissimi. Et dixi: Ista domus mea. Et respondit mihi. et dixit: Tres vias missus sum ostendere tibi. et tres similitudines proponere coram te. de quibus mihi si renunciaueris vnquam ex his. et ego tibi demonstrepo viam quam desideras videre et docebo te vnde sit cor malignum. Et dixi: Loquere domine meus. Et dixit ad me: Glade pon

GG ij